

nistrarent. Loquitur Apostolus, ait S. Hieronymus, de sanctis mulieribus quæ juxta morem Judaicum (ex quo proinde nullum erat scandali periculum) Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legitur ipsi quoque Domino factitatum. (Lib. 1. contra Jovinian. tom. 4. part. 3. pag. 167.)

Obj. 4°. Ea lex injusta est quæ rem jubet impossibilem: atqui ita se habet perpetuæ continentiæ lex, majoribus Clericis imposita; ut satis probant tot illicitæ libidines, in quas erumpit natura conjugii remedio fraudata; ergo, &c.

Resp. Neg. min. Numquid enim rei impossibili vitam æternam promittit Christus, cum interroganti Petro: *Ecce relinimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit: *Amen dico vobis, ... omnis qui reliquerit ... uxorem propter nomen meum ... vitam æternam possidebit?* (Matth. 19. v. 27 & 29.) Numquid rem impossibilem suadebat Apostolus, cum optaret omnes esse sui similes, nempe virginitatis cultores? Numquid impossibile dici potest, quod ab innumeris hominibus factitatum legimus? Atqui continentiæ perpetuæ servatæ insignia & propè numero infinita exempla in Ecclesiasticis annalibus occurrunt: quot enim ibi reperias Monachos, Virgines, Episcopos, Presbyteros, &c. imò & Laicos, qui incorruptæ castitatis laude floruerunt, feliciterque experti sunt quod Deus Paulo dixerat: *Sufficit tibi gratia mea non virtus in infirmitate perficitur!* (2. Cor. 12. 9.)

Nequicquam autem Hæretici contraria obtrudunt Clericorum exempla, qui suæ professionis immemores, infami libidine, gravissimisque scandalis Ecclesiam non semel affixerunt: nemo enim sanus legem aliquam, vel injustam, vel impossibilem idèò putaverit, quod à multis violetur: alioqui damnanda erit lex quælibet, tum divina, tum humana; cum nulla sit quam sæpè sæpius infringere non audeat hominum perversitas.



## TRACTATUS

DE

### IRREGULARITATIBUS.

**I**RREGULARIS dicitur qui extra regulam est, sive qui dotes à regula pro suscipiendis Ordinibus, vel eorum functionibus exercendis præscriptas non habet: unde irregularitas definiri potest: *impedimentum canonicum, quo efficitur aliquis inhabilis ad Ordines licitè recipiendos, vel ad eorum, si recepti fuerint, functiones obeundas.*

Dicitur autem 1°. *impedimentum*, non verò poena, sicque distinguitur à censura quæ non nisi propter culpam infligenda est, ideòque poenæ rationem habet. *Irregularitas* autem aliquando citra ullum delictum contrahitur, sed propter aliquod corporis vitium.

2°. *Canonicum*, quia locum non habet nisi in casibus jure canonico expressis. Quapropter Bonifacius VIII eum qui in Ecclesia polluta celebravit, licet peccaverit, irregularitati tamen non esse obnoxium declarat, *cum id non sit expressum in jure.* (In sexto, tit. 11. cap. 18.)

3°. *Ad Ordines suscipiendos*, quâ voce intelliguntur Ordines, tum strictè dicti, tum latè, qualis est prima tonsura. (Cap. ult. de temp. Ordin. in sexto.)

4°. *Licite suscipiendos*, quia impedit quidem irregularitas ne Ordines licite, minime vero ne valide recipiantur.

5°. *Et Ordinum, si recepti fuerint, functiones obeundas*; qui enim non potest Ordines licite suscipere, multo minus valet eorum munia exercere.

Irregularitas dividitur 1°. in *totalem & partialem*. *Totalis* ea dicitur quæ ab omnibus Ordinibus, eorumque exercitio excludit; talis est ea quæ ex homicidio nascitur. *Partialis* ea est quæ impedit ne aliquis tantum Ordo suscipiatur, vel ne quædam Ordinis suscepti functiones exercentur. Sic Sacerdos cæcus ad Missam quidem celebrandam esset irregularis, non vero ad confessiones audiendas. 2°. Alia est irregularitas quæ ex aliquo defectu, & alia quæ ex crimine ortum habet. Prior inducitur propter quosdam animi corporisve defectus qui, licet ab omni culpa vacui sint, hominem tamen in quo reperiuntur ita deformant, ut non deceat Ordines ab eo exerceri; posterior autem contrahitur propter commissum aliquod crimen.

Brevem istum Tractatum quatuor in capita distribuimus. In 1°. de irregularitate quæ ex defectu provenit; in 2°. de ea quæ ex delicto nascitur; in 3°. de irregularitatis effectibus; in 4°. de ejus cessatione dicturi sumus.

## CAPUT PRIMUM.

### De Irregularitate ex defectu.

Octo sunt irregularitatis ex defectu provenientes species, quæ scilicet oriuntur ex defectibus animi, corporis, natalium, famæ, ætatis, Sacramenti, lenitatis, libertatis. De impedimento ætatis jam diximus in superiori de Sacramento Ordinis Tractatu; sapere igitur ut de aliis breviter disseramus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De Irregularitate ex defectu animi.

Triplex est animi defectus qui irregularitatem inducit. Primus est defectus rationis, propter quem furiosi, energumeni, amentes, epileptici, ab Ordinibus in perpetuum repelluntur; (*Cap. Martium, dist. 53.*) quia nunquam vel raro contingit, ut ii morbi perfecte sanentur. Hujusmodi impedimentum non tam Religio, quam natura ipsa constituit: quibus enim domestica civiliave negotia, ne quidem minima, committuntur, multo minus divinatorum mysteriorum celebrationem committendam esse ratio clamat. Quod si homines de quibus agitur legitime fuerint Ordinati, ad susceptorum Ordinum functiones exercendas non prius admittuntur, quam ab anno integro sanati fuerint. (*ex cap. Communiter, dist. 33.*) Requiritur etiam ut post accuratam unius anni probationem, Missam non celebrent sine alio Sacerdote qui ipsorum vices suppleat, sine pristino morbo forte corripiantur. Ita Concilium Toletanum XI. (*Can. 14.*)

Annotandum vero epilepticum morbum, quem in prima infantia ante pubertatem expertus est aliquis, si post pubertatis annos cessaverit, ex communi consuetudine irregularitatem non inducere, quia ex Hypocratis aphorismo 28, *epilepsia ante pubertatem amotionem recipit.*

Secundus est defectus scientiæ quam Canones, ut jam exposuimus, ad suscipiendos sacros Ordines requirunt. (*Cap. Illiteratos, dist. 36.*)

Tertius est defectus fidei obfirmata, propter quem repellitur 1°. Neophytus, id est, recens ab idolorum cultu, à Mahumetismo, vel Judaitmo ad fidem conversus; 2°. quibusdam in locis, filii hæreticorum. (*Ex cap. Quicumque, de hæreticis.*) Sed Canon ille non viget in Gallia, ubi non filii

hæreticorum duntaxat, sed etiam hæretici ipsi post ejuratam hæresim, ad sacros Ordines sine dispensatione admittuntur.

## ARTICULUS II.

## De Irregularitate ex defectu corporis.

Primis Ecclesiæ sæculis irregularitatem non inducebant corporis defectus, nisi ex aliquo delicto prodissent, vel hujusmodi essent ut functiones ecclesiasticas impedirent. Id patet ex Canonibus qui dicuntur apostolici; sic enim statuunt: *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblasus, Episcopatu autem dignus sit, fiat; non enim damnum corporis ipsum polluit, sed inquinatio animæ.* (Canon. 76. & 77. tom. I. pag. 50. edit. Oxoniens. an. 1672.) Quinimò cicatrices ex vulneribus propter Christum toleratis superstites, pios Confessores ornabant, nedum deformarent, ut de Aurelio & Celerino scribit S. Cyprianus: *Lucent in corpore glorioso clara vulnerum signa: . . . hos Lectores interim constitutos sciatis.* (Epist. 34. pag. 47 & 48.)

Verum sequentibus sæculis, cum iis qui corpore vitiatu erant, non ea virtus esset quæ deformitatem vinceret, ita ut despiciatui essent, Ecclesia post quartum sæculum prohibuit, ne ad sacros Ordines admitterentur, qui notabili corporis vitio laborarent. Quia de re plurimi extant Canones. (Lib. I. Decretalium, toto titulo de corpore vitiatu, & lib. 3. de Clerico ægrotante.)

Propter corporis defectum irregulares sunt qui eam habent deformitatem, quæ vel Ordinis usum impediatur, vel scandalum, horrorem & contemptum afferat. Tales sunt 1º. qui carent manu, indice vel pollice, oculo sinistro, quem oculum Canonis vulgò appellant. (Cap. Thomas, de corpore vitiatu, & cap. Si Evangelicam, dist. 55.) 2º. Surdi utraq; aure, claudi qui sine baculo ad altare

stare nequeunt. (Cap. Nullus Episcopus, dist. 2. de consecrat.) Item gibbosi, gigantes, pygmæi, & in nostris regionibus Æthiopes, qui horrorem quemdam injiciunt. 3º. Leprosi, abstemii qui vinum ita abhorrent, ut illud evomant; item qui tremulas habent manus, propter effusionis calicis periculum. (Cap. Tua nos, de Clerico ægrot.) 4º. Qui suâ culpâ facti sunt eunuchi. (Cap. Si quis, dist. 55.) Qui verò tales à naturâ, vel per injustam violentiam effecti sunt, ad sacros Ordines promoveri possunt. (Cap. Ex parte, de corpore vitiatu.) Utrum tamen hic aut ille corporis defectus hujusmodi sit, ut ex eo vel irreverentiæ, vel scandali periculum afferatur, definire Episcoporum est. (Cap. Significavit, de corp. vitiat.)

## ARTICULUS III.

## De Irregularitate ex defectu natalium.

Defectu natalium irregularis est quisquis ex legitimis nuptiis non fuit procreatus. (Capit. I & 2. de filiis Presbyterorum.) Excipiuntur tamen qui nati sunt ex matrimonio, propter impedimentum aliquod dirimens irritum quidem, sed in facie Ecclesiæ bonâ fide, saltem ex parte unius contrahentis, celebrato. (Cap. Cum inter, de filiis Presbyt.) Prioribus sæculis incognitum fuit illud impedimentum. Quando enim de eligendis Ministris agebatur, non quo patre genitus, sed quibus virtutibus ornatus esset aliquis quærebat, ut plurimis Patrum testimoniis adstruit Gratianus. (Decret. part. I. dist. 56.) Sæculo tandem XI, inquit Drouin, Summorum Pontificum & Conciliorum autoritate, de spuris ad sacram Ordinationem non admittendis, lex in tota Ecclesiâ Latina prævaluit.

Instituendi hujus impedimenti multiplex causa fuit. Prima est Ordinis dignitas, aut præfatus Autor, quam non leviter deturpat origo vitiosa. Quantum;

libet enim spurius filius continentiae ac sanctitatis laude præcellat, paterni tamen criminis memoriam velut impressam in fronte gerit. Secunda est periculum incontinentiae in filiis spuris qui, ne patrum exempla secuturi sint, maximè verendum est; ex vulgari enim proverbio, filii patribus similes esse solent. Tertia fuit reprimendae quorundam Presbyterorum incontinentiae necessitas: sæculo enim præsertim XI, turpe illud vitium in Clero non jam clanculum, sed publicè grassabatur; quod malum ut coerceretur, præter cetera, constitutum est spurios Presbyterorum filios è sacro ministerio in perpetuum esse removendos.

## ARTICULUS IV.

## De Irregularitate ex defectu famæ, sive ex infamia.

Duplex est infamia, alia *juris* quæ contrahitur per sententiam Judicis quæ reus declaratur aliquis; alia *facti* quam scilicet graviora crimina suis autoribus afferunt, ubi primum nota sunt & pervulgata. Utraque hæc infamia adjunctam habet irregularitatem: *Infames eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamiâ; id est, omnes... quos Ecclesiasticæ, vel sæculi leges, infames pronuntiant; hi omnes... nec ad sacros gradus debent provehi.* (Can. Infames, caus. 6. dist. 1. decr. pag. 1059.) Quod sapienter à Canonibus sancitum est. Si enim in Republica civili ab exercendis officiis, tractandisque negotiis politicis repelluntur; quanto magis in sacro & omnium sanctissimo mysterio lex illa admittenda est? Hinc Apostoli de instituendis Diaconis cogitantes, id primum sollicitè curarunt, ut eligerentur *virii boni testimonii.* (Act. 6. 3.) Hinc Paulus declarat oportere Episcopum testimonium habere bonum,

etiam ab iis qui foris sunt. (1. Tim. 3. 7.)

Quapropter vel innocens ipse qui falsis testimoniis, vel confictis instrumentis oppressus, ad poenam infamantem, exilium, carcerem, &c. in foro sæculari damnatus est, aut ecclesiastica sententiâ reus denunciatus, ab omni Ordine vel suscipiendo, vel exercendo repellitur, ut patet ex multis Canonibus. Quantumvis igitur aliquis propriæ conscientiae testimonio sit innocens, si juridicè damnatus fuerit, pro irregulari sese gerere debet, donec vel superioris Judicis sententiâ fuerit absolutus, vel dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit.

Quæres quibus modis auferri possit irregularitas orta ex infamia.

Respondeo: Irregularitas ex infamia facti proveniens, tollitur per eam vitæ emendationem, quæ prioris vitæ dedecus in hominum opinione deterferit; ita ut sinistra famæ successerint bona existimatio, ex contrariis operibus piis, sæpè ac diù repetitis. *Ad meliora enim conversum nequaquam prior vitæ commaculat.* (Decret. pag. 390.) Irregularitas autem cui locum dedit infamia juris, per solam vitæ emendationem non auferitur; sed præterea requiritur ut vel crimen propter quod aliquis damnatus fuerat, per sententiam dilutum fuerit, vel obtineatur dispensatio à Summo Pontifice cui reservatur. (ex cap. Cum te, de sentent. & re judicata.)

## ARTICULUS V.

## De Irregularitate ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia.

Bigamia dicitur defectus Sacramenti, id est, signi, quia iteratæ nuptiæ spirituales Christi cum Ecclesia conjunctionem perfectè exhibere non

possunt. *Sacramentum Matrimonii*, ait S. Thomas, significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam & idè requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, ut vir sit tantum unius vir, & uxor tantum unius uxor, & idè bigamia quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. (In. 4. dist. 27. q. 3. art. 1. in corp.)

Triples autem distinguitur bigamia, nempe vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamia vera est legitimum matrimonium cum duabus conjugibus successive tractum & consummatum. Si enim sponsa, post ratum matrimonium, & non consummatum, Religionem professâ fuerit, & sponsus alteram ducat uxorem, non censetur bigamus, imò nec ille qui plures habuit uxores, & cum nullâ matrimonium consummavit. Veræ bigamiæ semper adjunctam fuisse irregularitatem constat ex Apostolo, qui vetat ne quis Ordinetur Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, nisi sit unius uxoris vir. (1. Tim. 3. v. 2 & 12.)

Bigamia interpretativa dicitur, cùm aliquis ex fictione, sive interpretatione juris, censetur plures habuisse uxores, licet reipsâ plures non haberet: tales sunt 1º. qui viduam duxit, aut puellam ab altero corruptam: ratio est, quod nuptiæ cum vidua vel puella temerata, perfectam non exhibeant matrimonii significationem, id est, non satis referant spiritualem Christi cum Ecclesia conjunctionem; siquidem Christus non aliam habuit sponsam, nec Ecclesia alium sponsum; bigamus ergo reputari debet, sive qui carnem propriam cum multis uxoribus divisit, sive qui duxit uxorem quæ viris pluribus copiam sui fecit; 2º. qui propriam uxorem post adulterium ab ea commissum cognovit: is enim jam incipit esse sponsus illius quæ per adulterium carnem suam divisit pluribus; 3º. qui post mortem primæ uxoris, cum altera matrimonium contrahit, sed nullum & irritum propter impedimentum aliquod dirimens: ratio est quia, quantum

in ipso fuit, secundam mulierem sibi matrimonialiter conjunxit, inquit Innocentius III. (Decretal. pag. 305. tit. 21.)

Bigamiam similitudinariam eam vocant Canonistæ quæ iterati matrimonii quamdam Imaginem & similitudinem habet. Hoc modo bigamus censetur, qui post solemne Religionis aut sacri Ordinis votum, matrimonium contraxit & consummavit. Ratio est, quòd duplex veluti matrimonium inierit, aliud spirituale, & aliud carnale & nefandum. Hæc triplex bigamiæ species irregularitatem inducit, & ab omnibus Ordinibus ipsâque primâ tonsurâ excludit.

#### ARTICULUS IV.

##### De Irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis.

Manuetos esse debere & ab humani sanguinis effusione, omnique crudelitatis specie alienos Dei Ministros, patet ex iis Christi verbis: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* (Math. 11. 29.) *Quomodo enim*, ait Yvo Carnutensis, *Ecclesia judicare debet fundendum sanguinem alienum, quæ à primo ortu iussa est fundere sanguinem proprium?* (Epist. 247. part. 2. pag. 107. Edit. an. 1647.)

Merito igitur à Majoribus constitutum est, eos tanquam irregulares habendos, qui voluntariè & proximè, licet justè, ad necem vel mutilationem alicujus concurrunt, sive *physicè*, ut carnifex; sive *moraliter*, ut mandans, consulens, consentiens. Dixi autem 1º. *voluntariè*: si quis enim nonnisi coactus, ad vitæ suæ defensionem occidat cum moderamine inculpatae tutelæ, non habetur irregularis. 2º. *Proximè*; namque si remotè duntaxat ad necem aut mutilationem alterius contuleris, irregularitati non subjaces. Hinc armorum

opifex non fit irregularis, licet quispiam armis ab eo fabricatis alium occidat; secus vero si arma iis venderet, quos novit duello jamjam conflictuos, quia tunc proximè ad homicidium concurreret. 3<sup>o</sup>. *Ad necem aut mutilationem alicujus*; tùm quia in jure canonico interficere vel mutilare aliquem, perindè est quoad irregularitatem; tùm quia ad eam contrahendam non satis est occidendi vel mutilandi voluntas, sed necesse est ut occisionis vel mutilationis actus perficiatur. Idcirco qui percutiunt, vulnerant, lacerant, & sanguinem effundunt, non sunt irregulares, nisi inde consequatur mors aut membri alicujus abscissio.

Quæres 1<sup>o</sup>. quinam in causa criminis censeantur proximè ad mortem vel mutilationem concurrere, idèque in irregularitatem incidere.

Respondeo circa materiam hanc cum exteris non consentire Gallos. Nam 1<sup>o</sup>. juxta exteros, irregularitatem contrahunt qui alium criminaliter accusant, si mors vel mutilatio consecuta fuerit; id verò locum non habet in Gallia, ubi nemo reum insequitur, nisi Procurator Regius, vel alius hujusmodi; si tamen ea esset accusatoris intentio, ut malefici morte plesterentur, irregularitatem non effugeret, ait Natalis Alexander.

2<sup>o</sup>. Juxta Theologos extraneos, irregulares sunt testes in causa capitali, si consequatur mors vel mutilatio illius adversus quem testimonium ferunt, quia proximè ad nocentis mortem concurrunt. Aliter verò sentiunt Galli; tùm quia bono publico pessimè consultum esset, si ii qui facinorosos cognoscunt, ab iis detegendis irregularitatis metu deterrerentur, tùm quia testes nonnisi remota à Gallis æstimantur mortis inferendæ causa. Hanc tamen doctrinam sic temperant, ut putent irregularitatem à testibus contrahi, sive cum eos ad testandum inducit, non boni publici desiderium, sed mortis alienæ libido;

sive cum sponte suâ testatur, & priusquam ad illud fuerint à judice compulsi: ita post Sambonivium Pontos. ( *Cas. 58.* )

3<sup>o</sup>. Ab exteris Theologis pro irregularibus habentur Procurator, Advocatus & Scriba, ( gallicè *le Gressier criminel* ) quos putant ad mortem rei proximè concurrere. Aliter autem existimant plerique Autores Galli de Procuratore & Advocato, nisi ambo, vel innocentis causam malè defendendo, ipsi mortem adsciverint; vel reum injustè tuendo in causa fuerint, cur justus accusator necem fonti debitam subierit. Quod verò spectat ad Scribas, non consentiunt Doctores Galli. Quo in dubio docet Pontas hujusmodi homines, ut partem eligant tutiorem, debere dispensationem ad majorem cautelam obtinere.

In Galliis, sicut & apud exteros, irregularitatem contrahunt 1<sup>o</sup>. pars, ut vocant, *criminalis*; nempe Procurator Regius, vel alius hujusmodi, qui reum morte damnandum esse concludit; 2<sup>o</sup>. Judices qui sententiam mortis pronuntiant; 3<sup>o</sup>. lictores qui reum ad supplicium conducunt; 4<sup>o</sup>. carnifex qui eum morte afficit: ii enim omnes ad mortem inferendam proximè concurrunt.

Nec quemquam moveat præfata Gallorum à ceteris in hac parte dissentio. Irregularitas enim ex defectu perfectæ lenitatis orta pertinet ad disciplinam, non divino sed humano jure sancitam. Porro non una omnium eadem est disciplina.

Quæres 2<sup>o</sup>. an Medici & Chirurgi sint irregulares, cum membrum aliquod abscindunt, vel abscindi præcipiunt.

Resp. Minimè, modo secundum artis suæ regulas operentur; quia Chirurgi & Medici, non in vindictam & pœnam, sed ad totius corporis conservationem, membrum incidunt vel amputant. Hæc igitur operatio non crudelitatem sapit, sed humanitatem. Si tamen Chirurgi aut Medici

culpâ vel imperitiâ æger intereat, tunc irregularitatem ex delicto subeunt. In iis enim qui operam suam promittunt, inficitia vertitur in culpam.

Quæres 3°. an milites qui pugnant in bello, irregularitati sint obnoxii.

Resp. Qui in bello iusto ex autoritate publicâ contra hostes pugnant, irregulares fiunt, si quem occidant vel mutilent; ceteri autem milites, si neminem interfecerint aut mutilaverint, irregularitati minimè subjacent. Si verò bellum iniustum sit & aliquis in eo vel occidatur vel mutiletur, omnes fiunt irregulares, etiam ii qui propriâ manu nec mortem nec mutilationem cuiquam intulere; quia jus eos omnes punire voluit, qui necis & mutilationis iniustæ sunt participes: si quis autem meritò dubitet an quemquam in bello, etiam iusto, necaverit aut mutilaverit, tunc dispensationem petere & obtinere debet; tum ut nemini scandalum afferat; tum ut partem sequatur tutiorem. Ita Pontas. (Cas. 69.)

Quæres 4°. utrùm irregulares sint Clerici qui reorum supplicio interfunt.

Resp. eos quidem peccare, cum sic prohibeat Concilium Lateranense IV an. 1215: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dicat aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, interfuit.* (Can. 18. Tom. II. Concil. pag. 170 & 171.) Grave esse illud peccatum quidam Theologi ex eo concludunt, quòd Synodus Matifconensis II hujusmodi Clericis statûs amissionem comminata fuerit: (Can. 19.) ab irregularitate tamen sunt immunes. Qui enim tristibus hisce spectaculis oculos pascit, ad reorum mortem suâ præsentia nihil confert.

## ARTICULUS VII.

## De Irregularitate ex defectu libertatis.

Defectu libertatis ad Ordines requisitæ irregulares sunt, 1°. servi propriè dicti qui etiam mancipia vocantur: ne promoveantur ad Ordines sine dominorum consensu, & nisi ab iis libertatem acceperint, vetant Canones. De iis hæc sufficiant, quia servitus in Gallia nostra locum non habet.

2°. Boni alieni administratores, & quicumque reddendis ratiociniis (gallicè *reddition de comptes*) sunt obnoxii, ut tutores, curatores, procuratores, &c. ii omnes habentur irregulares, donec munia sua abjecerint suasque rationes reddiderint: utraque hæc conditio exigitur. (Cap. Magnus, dist. 54. de *obligatis ad ratiocinia.*) Qua de re sic habet S. Hieronymus: *Procuratores & dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo possunt esse Clerici qui proprias jubentur contemnere facultates?* (Epist. 34. ad Nepotian. tom. 4. part. 2. pag. 265.) Hujus instituti duplex fuit causa: prima, quia homines sæcularibus functionibus distracti, non sunt satis sui juris, ut divinis vacent ministeriis; secunda, quia in reddendis rationibus alicujus fraudis argui possunt, magnisque litibus vexari: quod in Ecclesiæ dedecus & opprobrium verteretur.

Irregulares tamen non sunt, 1°. honorum Ecclesiæ, vel cujuscumque alterius causæ piæ administratores; 2°. defensores minorum, pauperum, orphanorum; cum enim opem suam iis denegare non debeat Ecclesia, ita nec eos qui ipsis operam suam impendunt, ab Ordinibus removeri debet; 3°. qui tutorum & curatorum officia in se recipere coguntur à Judicibus.

## CAPUT II.

## De Irregularitate quæ ex delicto nascitur.

**D**ELICTUM propter quod contrahitur irregularitas, debet esse 1<sup>o</sup>. *mortale*, quia pœna gravis pro levi culpa non infligenda est: atqui irregularitas quæ propter peccatum decernitur, gravis est pœna, cum ab Ordinibus vel eorum functionibus excludat: 2<sup>o</sup>. debet esse *exterior*; culpa enim merè interna non alium habet testem & iudicem, quam Deum & conscientiam. Hinc natum illud effatum: *Ecclesia non iudicat de internis*.

Quadruplex est irregularitas à delicto proveniens; prima nascitur ex iteratione Baptismi; secunda, ex hæresi; tertia, ex prava Ordinum receptione, vel malo eorundem usu; quarta, ex homicidio & mutilatione. De singulis nunc agendum est.

## ARTICULUS PRIMUS.

## De Irregularitate ex iteratione Baptismi.

Incidere in irregularitatem qui Baptismum denuo vel conferunt, vel recipiunt, ex iure canonico compertum est. Sic enim statuitur: *Neque unquam permittendum ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.* (*Decr. part. 1. pag. 355.*) S. Leo Pontifex Maximus Clericis ab hæresi redeuntibus, Ordinum foris susceptorum exercitium & honorem eâ conditione concedit, *ut iteratâ tinctione non fuerint maculati.* (*Epist. 14. ad Julianum*

*lianum Episcopum Aquilensem, tom. 1. pag. 447. edit. Quesnel.*) Ab irregularitate tamen immunes censentur 1<sup>o</sup>. qui in infantia semel & iterum baptizati sunt; 2<sup>o</sup>. qui Baptismum erga eum iteravit, quem prius baptizatum fuisse aut nesciebat, aut legitimè dubitabat; tum quia *non intelligitur iteratum, quod nescitur & ambigitur esse factum*, ut ait Innocentius III, *Decretal. pag. 1393*, tum quia in huiusmodi casibus nullum occurrit delictum.

Si verò quæsieris cur irregularitati subiecta fuerit Baptismatis iteratio, non autem Ordinis & Confirmationis, quamvis utrumque illud Sacramentum characterem, sicut & Baptismus, imprimat, duplicem potissimum hujus discriminis causam asserunt Theologi. Prima fuit necessitas Donatistarum aliorumque *rebaptizantium* hæresim reprimendi, quæ diù turbavit Ecclesiam. Cum autem non ita ferveret controversia circa Confirmationis & Ordinis Sacramenta, mirum non est quòd ea iterantibus similem pœnam non imposuerint antiqui Canones. Secunda est, quòd Baptismus vera sit regeneratio & mortis Christi, ex Apostolo, imaginem exhibeat; cum verò res eadem semel duntaxat generetur, & Christum semel tantum mortuus sit, patet hanc Baptismi notionem ipsius iteratione funditis subverti: quod in aliis Sacramentis non contingit.

## ARTICULUS II.

## De irregularitate ex delicto Hæresis.

Hæresis quæcumque, si exteriori quodam signo innotuerit, irregularitatem *iure communi* inducit. *Ex omni hæresi qui ad nos fidelis venerit, inquit Concilium Eliberitanum, minimè est ad Clerum promovendus.* (*Can. 51. tom. 1. Concil. pag. 976.*)



Hanc esse Ecclesie Romanae consuetudinem sic testatur Innocentius I: *Nostre lex est Ecclesia venientibus ab hæreticis, qui tamen illuc baptizati sunt, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum, subrogare.* (Tom. 2. Concil. pag. 1274.) Quin etiam hæreticorum receptatores, defensores & fautores, ipsorumque filii, .... ad primum & secundum gradum per paternam lineam, .... per maternam verò ad primum duntaxat, declarantur irregulares. (In Sexto, pag. 636. lib. 5. tit. 2. part. 2. cap. 15.) Diximus verò, jure communi, quia Hæretici in Gallia, Calvinistæ, v. g., non habentur irregulares; ideòque post ejuratam hæresim, receptamque abolitionem, possunt absque dispensatione ad sacros Ordines promoveri.

## ARTICULUS III.

*De Irregularitate quæ propter Ordines pravè susceptos malumque eorum usum contrahitur.*

Iis omiſſis de quibus dissident Theologi, ea tantum proponemus quæ communi consensu recepta sunt. Irregulares vulgò censentur 1º. qui Ordines furtim recipiunt, id est, qui ab Episcopo nec vocati, nec approbati, per dolium Ordines subripiunt. (Decretal. pag. 1778.) 2º. Qui post contractum matrimonium, quamvis non consummatum, invitâ uxore Ordinatur. De hujusmodi enim homine sic pronuntiat Joannes XXII: *Nec in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi potest.* (Tit. 6. Extravag. cap. Antiquus, pag. 68.) Porro verè irregularis est, quisquis ab Ordine superiori excluditur.

3º. Ex communi Doctorum sententia Canonibus fundata, irregularis est qui excommunica-

tione majori, suspensione vel interdicto constringitur, si majorem Ordinem solemniter, sive ex officio, temerè exerceat. Dixi autem 1º. majorem Ordinem; cum enim minorum Ordinum officia nunc promiscuè à Laicis & Clericis exercentur, irregularitatem non contrahit suspensus, vel excommunicatus qui iis fungitur. Dixi 2º. solemniter, sive ex officio. Tunc autem solemne est alicujus Ordinis exercitium, cum eâ ratione fit, quæ non competit nisi Clerico qui talem Ordinem suscepit. Subdiaconorum, v. g. solemnis actus est Epistolam cum manipulo cantare; si quis igitur Subdiaconus excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus Epistolam sine manipulo cantaverit, in irregularitatem non incurrit, quia non censetur sui Ordinis actum exercere, sed cantoris vel lectoris vices gerere.

4º. Irregularitatem contrahit Clericus qui temerè usurpat, & solemniter exercet officium proprium Ordinis quem non habet, ut colligitur ex istis Hormisdæ Romani Pontificis verbis: *Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit non Ordinatus, propter temeritatem ab Ecclesia, & nunquam Ordinetur.* (Lib. 5. Decretal. tit. 28. pag. 1776.)

## ARTICULUS IV.

*De Irregularitate ex homicidio.*

Homicidium dividi solet in voluntarium, casuale & necessarium. Homicidium duplici modo potest esse voluntarium, nempe vel in se, cum scilicet directè intenditur, ut si quis alium aggrediatur cum rato illius interficiendi proposito; vel in sua causa, ut quando illud agitur ex quo prævideretur, aut prævideri potest & debet alicujus mortem esse consecuturam,

Homicidium *casuale* illud est quod fortuito contingit, & duplex distinguitur, aliud *purum*, aliud *mixtum*. Purè est *casuale*, cum accidit præter intentionem agentis, qui illud ex sua actione consecuturum nec prævidit, nec prævidere potuit. Tale est homicidium ab eo factum qui, *cum pulsaret campanas, ut signo dato conveniret populus fidelium ad divina, cadens tintinnabulum percussit quemdam puerum qui ex eo vulnere decessit.* ( *Ibid. tit. 12. cap. 23. pag. 1715.* )

Homicidium dicitur *casuale mixtum*, cum illud aliquis nec intendit, nec prævidit quidem; sed vel debitam non adhibuit diligentiam ne mors contingeret, vel opus periculosum & illicitum suscepit; mors inde consecuta, partim fortuita est, quia præter intentionem agentis contigit, partim voluntaria, nempe in sua causa: liberè enim voluit, vel debitam omittere diligentiam, vel opus suscipere à quo erat abstinendum.

Homicidium *necessarium* illud est quod aliquis ex quadam necessitate compulsus, nempe ob propriæ vitæ defensionem, commisit. His præmissis, nunc quærendum est quandenam propter homicidium contrahatur irregularitas.

Quæres igitur 1<sup>o</sup>. an homicidium quodlibet voluntarium irregularitati subjaceat.

Resp. Affirmat Synodus Tridentina his verbis: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.* ( *Sess. 14. de reform. cap. 7.* ) Idem de iis sentiendum qui mandato, consilio, hortatione, auxilio ad necem hominis concurrunt. Totidem enim sunt homicidæ voluntarii, juxta illud juris canonici: *Perniciosè se decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum consilium, & fraudem,*

*& exhortationem homines extinguuntur: nam Judæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt.* ( *Decret. part. 2. caus. 33. quæst. 3. pag. 2197.* )

Quæres 2<sup>o</sup>. an irregularitati obnoxium sit homicidium casu & fortuito commissum.

Resp. 1<sup>o</sup>. Qui vacat rei licitæ, & debitam ad vitandum homicidium diligentiam adhibet, ab irregularitate immunis est, licet ex ejus facto fortè sequatur homicidium. Ratio est, quod in eo casu nihil voluntarii, nihil culpæ occurrat. Non enim reus est qui rem agit licitam, ex qua accidit quod nec præcavere, nec impedire potuit.

Resp. 2<sup>o</sup>. Si rei licitæ operam daret qui alium inopinatè interfecit, sed non satis diligenter curaverit ne quem læderet, irregularitati subjicitur; quia homicidium quod vitari potuit & debuit, meritò reputatur voluntarium. Hinc Alexander III Sacerdotem qui puerum castigare volens eum percusserat in capite, ab altaris ministerio decernit perpetuò removendum, *si puer ex ipsa percussione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse;* ( *Lib. 5. Decretal. tit. 12. pag. 1702.* ) quia, licet eum graviter lædere non intenderet, in eo tamen corrigendo debitam non adhibuerat prudentiam.

Resp. 3<sup>o</sup>. Irregularis habendus est qui rei illicitæ simul & periculosæ vacavit, unde præter ipsius intentionem accidit homicidium. Ratio est, quod hujusmodi homicidium in sua causa voluntarium meritò existimetur: qui enim rem facit prohibitam & periculosam, quæ scilicet ex se alicui mortem inferre potest, effectus inde consequentes velle judicatur, nec sufficientem adhibere diligentiam censetur, nisi ab illo opere prorsus absteineat.

Dixi autem *rei illicitæ & periculosæ*, quia tendunt multi Theologi & Canonistæ, aliquem non esse irregularem propter homicidium fortuitum, si res illicita cui operam dabat, non

fuerit periculosa, & ipse debitam adhibuerit diligentiam: homicidium enim istud, inquit, ne quidem in suâ causâ, voluntarium est, ut potè ad mortem alicui inferendam ex se minimè accommodatâ.

Inde colliges irregularem fore 1°. Clericum in sacris Ordinibus constitutum, si artem chirurgicam exerceret per *adustionem, vel incisionem*, & inde sequeretur ægroti mors vel mutilatio, quantâcumque diligentia usus fuerit; quia huiusmodi operatio periculosa est, & Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris per Canones vetita: 2°. Clericum qui clamorose venationi indulgens, dum feram occidere intendit, hominem ex improvise obvium interficit, quia clamorose venationem quæ nimirum cum armis & canibus exercetur, Clericis Canonibus interdicitur, & aliundè non sine periculo est: 3°. qui iussit alterum percuti, quamvis prohibuerit ne lethale vulnus infingeretur, si mors vel mutilatio ex hac percussione consequatur, quia rem illicitam & periculosam imperavit.

Quæres 3°. utrum pro irregulari habendus sit, qui ob propriæ vitæ defensionem, alium hæc veluti necessitate compulsus occiderit.

Resp. antiquitus irregulares fuisse, qui aliquem propriæ defensionis causâ interemissent. *Qui in latrones ex adverso feruntur*, inquit S. Basilius, *si sint quidem Laici, à communionem arcentur; si verò Clerici, à gradu deiciuntur.* (Ep. can. ad Amphilochem, tom. 3. pag. 326.) Idem statuit Concilium Triburense an. 895: *Si quis Clericus, quamvis nimium coactus homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur.* (Tom. 9. Concil. pag. 445.) S. Thomas, Clericus, inquit, *etiamsi se defendendo interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere.* (2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.) Sed temporis lapsu obtinuit contraria disciplina. Nam,

ineunte sæculo XIV, Clemens V Pontifex Maximus sic declarat: *Nullam irregularitatem in urrit... qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.* (Clementin. lib. 5. tit. 4. pag. 279.) Ut verò irregularitatem effugiat, sive necesse est inculpatae tutelæ moderamen; sive debet, quantum in se est, & suæ, & proximi vitæ consulere. Quapropter si quis invasorem occidat, dum potest fugâ, clamore, vel alio modo vitam in tuto ponere, irregularis est.

Quæres 4°. an irregularis sit qui patris, filii, vel conjugis aggressorem interimit quia eos non potest aliter defendere.

Resp. eum esse irregularem. Is enim tantum ab irregularitate eximitur qui alium occidit, cum aliter vitam propriam defendere non potest, *mortem aliter vitare non valens*, inquit Clemens V. Quanto minus igitur ab irregularitate immunis erit qui homicidium, pro fama, honore, vel bonis defendendis perpetrat! Jam ante Clementem V, Alexander III irregularem declaraverat Monachum quemdam, qui latrones in monasterium noctu ingressos, & funibus strictè colligatos occiderat, dum illi vincula rumpere nitentur. Eam rationem affert Summus Pontifex: *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.* (Lib. 5. Decretal. tit. 12. pag. 1704.)



## CAPUT III.

## De Irregularitatis effectibus.

**T**RIPLEX est irregularitatis effectus. 1<sup>o</sup>. A suscipiendis Ordinibus repellit, & quidem à prima tonsura. Ad eum quippè finem primariò inducta est irregularitas, ut à statu Clericali arceantur, quos in eum admitti non decet; per primam verò tonsuram homini in statum clericalem fit aditus. 2<sup>o</sup>. Removet ab usu Ordinum jam susceptorum; omnium quidem, si *totalis*; quorundam verò, si *partialis* tantummodò sit. 3<sup>o</sup>. Inhabilem facit Clericum, præsertim cùm *totalis* est, ad recipiendum quodlibet beneficium. Quo nomine significantur etiam dignitates ecclesiasticæ. Ratio est, quia ex juris axiomate, *beneficium datur propter officium*: irregularitas autem impedit ne quis Ordinis officio fungatur. Dixi autem, *præsertim si irregularitas totalis sit*; existimant enim multi per irregularitatem *partialem* Clericum inhabilem non fieri ad recipiendum beneficium, cujus munia potest obire.

Controvertitur an collatio beneficii facta Clerico irregulari, non modò illicita sit, sed etiam irrita & nulla. Sunt qui eam validam esse doceant; permulti verò negant. Posteriorem hanc opinionem tutiorem probabiliorè que esse colligitur ex variis Canonibus, & maximè ex iis Concilii Tridentini verbis: *Nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam aetatem & ceteras habilitates integrè habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* ( *Sess. 22. de reform. cap. 4.* ) Porò inter eos qui ad beneficia ecclesiastica sunt inhabiles, primum locum tenent irregulares; irrita est igitur collatio beneficii ipsis facta. Præterea meritò censetur collator

noluisse beneficium conferre irregulari, quem sacri Canones, tùm ab Ordinibus, tùm à beneficiis repellunt; solus autem ille voluntatis defectus ex parte collatoris satis est, ut irrita judicetur beneficii collatio irregulari facta.

Hinc sequitur irregularem suos non facere fructus beneficii quod ipsi collatum fuit, dum irregularitati subjaceret; eosdem igitur restituere debet, juxta regulas de possessore malæ fidei præscriptas.

Annotandum est 1<sup>o</sup>. non eant esse irregularitatis vim, quæ beneficiis priùs legitimè obtentis, ante Judicis sententiam spoliènt: nullus enim censetur bono quod legitimè possidebat exui, nisi pœnam hanc lex aliqua pronuntiaverit: atqui nulli in jure canonico decernitur Clericos, etiam propter delictum irregulares, à beneficiis antea ritè acquisitis, ipso facto excidere. *Non sunt ipso jure privati, sed tantùm privandi*, aiunt Canonistæ.

Not. 2<sup>o</sup>. eos tantùm suis beneficiis privandos esse, qui irregularitatem ex aliquo delicto contrahunt. Qui enim in eam propter aliquem defectum, & citra culpam incurrunt, non solent ab Ecclesia suis beneficiis spoliari; sed iis adjungitur Vicarius qui animarum curam gerat, si beneficium id postulet, & cui ex beneficii fructibus constituitur pensio.

## CAPUT IV.

## De cessatione Irregularitatis.

1<sup>o</sup>. **I**RREGULARITAS ex aliquo defectu proveniens, eo sublato, tollitur absque ulla Superioris dispensatione, quia ex regula juris, *sublatâ causâ, tollitur effectus*. Hinc qui aetatis, scientiæ, libertatis, corporis, animi vel natalium defectu

sunt irregulares, tales esse definiunt, adeptâ ætate, scientiâ, libertate, aut definente corporis vel animi vitio, vel si per subsequens matrimonium legitimi evaserint. Nam *tanta est vis matrimonii*, inquit Alexander III, *ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* ( *Lib. 4. Decretal. tit. 17. pag. 1534.* ) Si tamen excipiuntur qui ex incestu, vel adulterio nati sunt, & omnes generatim quorum parentes conjunctionis illicitæ tempore, matrimonium contrahere non poterant, propter impedimentum aliquod dirimens. *Si autem*, inquit Alexander III, *vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* ( *Ibid.* )

2<sup>o</sup>. Per solemnem Religionis professionem irregularitas ex defectu natalium orta tollitur, sed quoad Ordines tantum, non verò quoad dignitates, sive intra, sive extra Religionem: ad eas enim requiritur specialis dispensatio.

3<sup>o</sup>. Per dispensationem aufertur irregularitas. Pro quâlibet autem jure canonico inducta, dispensationem à Romano Pontifice concedi posse omnes confitentur, modo tamen id faciendi iusta extiterit causa; superest igitur ut quid in ea valeant Episcopi paucis exponamus.

1<sup>o</sup>. Ex illicita conjunctione nati possunt, dispensante Episcopo, ad minores Ordines & beneficia simplicia promoveri; ad majores autem Ordines & beneficia quibus subest animarum cura, requiritur Summi Pontificis concessio.

2<sup>o</sup>. Irregularitas ex defectu corporis oborta, inquit *Drouin*, solâ Pontificis Maximi indulgentiâ tolli demonstrat Ecclesiæ consuetudo; quod tamen ita observatur, ut Episcopis reservetur autoritas judicandi, an corporis defectus sit hujusmodi, ut qui eo afficitur possit absque scandalo ad Ordines promoveri. Quâ de re Romanæ Cancellariæ clausulam allegat præfatus Theologus.

3<sup>o</sup>. Hæc olim invaluerat consuetudo, ut irregularitas ex *biomia* proveniens, ab Episcopis, saltem quoad minores Ordines, auferri posset. *Papa*, inquit S. Thomas, *potest dispensare totaliter, sed Episcopus quantum ad minores Ordines.* ( *in 4. dist. 27. q. 3. art. 4. in corp.* ) Verum ex disciplinâ deinceps inductâ, hæc dispensatio ita soli Romano Pontifici reservatur, ut sine ipsius concessione, ne ad primam quidem tonsuram bigamus quisquam admitti possit. Id constat ex Synodo Trident. ( *Sess. 23. de reform. cap. 17.* ) Ita etiam non semel declaratum fuit à sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete, ut refert Fagnanus. ( *In 1. part. lib. 1. Decret.* )

4<sup>o</sup>. Synodus Tridentina statuit licitum esse Episcopis in irregularitatibus omnibus... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ... dispensare. ( *Sess. 24. de reform. cap. 6.* ) Occultorum autem criminum nomine, plures Ultramontani, inquit *Habert*, ea intelligunt quæ probari nequeunt. Unde in eorum sententia dispensare non potest Episcopus, cum agitur de crimine coram duobus testibus commisso, siquidem tunc probari potest; sed in Gallia, pergit idem Theologus, crimen, nisi sit notorium notorietate juris, censetur occultum.

